

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

Difficultas II. De Responcionibus & Fundamentis Opppositorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](#)

Disputatio IV.

137

humanae & natura humana, hoc, ut terminetur ab
hoc Personae. Quod non debeat habere ratio-
nem dispositionis.

PROBATUS 1. Quibuscumque dispositioni-
bus positis, potest nequum sequi unio, & tamen
illa determinatione positâ, debet sequi unio:
quia hoc ipso non esset determinatio; ergo illa
modalitas non habet rationem dispositionis.
Antecedens probatur. Quia, positâ aliqua for-
ma, potest Deus omnia illa impedire, quæ sunt
secundarii effectus, retento solo primario; non
est autem alius primarius effectus illarum dispo-
sitionum, nisi disponere, vel unioni aptare subje-
ctum: cum effectus formalis dicat formam, sub-
iectum aptum, & unionem eorundem; ex quo
non sequitur, nisi merum disponere ad unio-
nem, non autem ipsum esse unitum.

PROBATUS 2. Quia quæcumque aliæ mani-
festè dispositiones, sunt tales, ut illis positis, pos-
sit impediiri, ad quod fit dispositio, ut indu-
cens videbitur. Ergo idem dicendum esset de hac
Modalitate, si foret per modum dispositionis.

PROBATUS 3. Quia definitio dispositionis,
non est definitio unionis; quæ autem in Physi-
cis non habent in re candem definitionem, pos-
sunt inter se separari: nisi adit ratio ordinis es-
sentialis, qualis est in nostra determinatione;
dispositio autem quæ talis, si diceret ordinem es-
sentiali em, ad uniri, hoc ipso extraheretur à con-
ditione dispositionis. Habebit autem se illa mo-
dalitas, per modum determinationis: quia o-
mnis modalitas, definitivè, est determinatio en-
titativa, hocque ipso intelligi debet sequi unio,
quia, hoc ipso, determinatio illa non esset deter-
minatio; adhuc enim maneret indeterminatio
ad unitum.

RESPONDEBIS 1. Positis ultimis dispositio-
nibus, potest non sequi unio per nos, deberet er-
go etiam non sequi, positâ illâ determinatione.

CONTRA: quia effectus formalis, qui est
ultimo disponere, adhuc totus salvaretur, non
positâ unione: salvaretur inquam, quia in ratio-
ne dispositionis, non requiretur jam ulterior;
non salvaretur autem ratio determinationis, si
ad nihil determinaret; ad nihil autem determi-
naret, si maneret indifferentia ad unitum, & licet
determinationis, quæ est quid physicum, & u-
nionis, sit alia definitio, cetera tamen non sunt
paria; quia scilicet ipsa definitio determinatio-
nis non salvaretur, si relinquatur indifferentia
ad unitum.

RESPONDEBIS 2. Adhuc illa dispositio mo-
daliter determinatio, sequi ergo illam debe-
bit unio.

CONTRA: Concedo quidem, quod deter-
minabit, sequeturque illam necessariò unio: sed
non sub titulo dispositioris.

RESPONDEBIS 3. Quidquid ad totum ali-
quod requiritur, est vel dispositio, vel extrema
componentia, aut principia.

CONTRA: Quia hæc modalitas potest veni-
re nomine principiū formalis; vel certè neganda
erit major: extremumque aliud assignabitur,
nempe ratio determinationis ad uniri.

DICENDUM est 3. Unionem hypotheticam for-
maliter, non aliud esse, quam naturam humanam,
prout habet rationem terminata & suppositata actu
à VERBO, & VERBUM prout habet rationem termi-
nantis actu, & exercitium sue suppositivitatis. Et
secundum hanc conclusionem, convenimus
cum Nominalibus.

PROBATUS 4. Quia, si nihil obsit, dicta Pa-
trum & Conciliorum impliciter sunt accipien-
da: Patres autem & Concilia, nunquam istius
entitatis mediae, ad faciendum, ut natura huma-
na subsistat subsistentiâ VERBI, meminerunt;
sed id semper rejiciebant, nonnisi in Naturam
assumptam, & Personam assumptam.

RESPONDEBIS. Non meminerunt etiam
illius modalitatis determinativæ.

CONTRA. Non meminerunt quidem, sed il-
lam debere dari, argumentum positum evincet.

PROBATUS 2. Quia unio corporis & ani-
mæ, ut dictum alibi, non est ulla entitas inter-
media; ergo nec unio hypothistica. Conseguen-
tia probatur ab Athanasio; *Sicut, anima rationalis & corpus, unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* Et deinde, videtur hoc consequen-
tius dici, ad connotata, alias defensa.

PROBATUS 3. argumento negativo. Sicut
non sunt multiplicanda entia sine necessitate,
sic nec rationes formales ut quo, sunt multipli-
candæ sine necessitate; sed positâ modali enti-
tate, nonnisi pro connotato, & posito, quod hæc
natura sit hujus suppositi in actu secundo, & hoc
suppositum sit suppositum hujus naturæ in actu
secundo, sufficienter esse formale suppositatio-
nis intelligetur: ergo in hac ratione sola consti-
tui debet.

DIFFICULTAS II.

*De Responsionibus & Fundamentis Op-
positorum.*

Quoad responsiones attinet, illæ ad hoc
maximè attendent, ut ostendant sufficientem
mutationem independentem ab entitate
modali. Proponentur autem tam ea, quæ in
impressis habentur, quam ea quæ à pluribus no-
stræ Provinciæ Professoribus, aut inventa, aut
usurpata sunt.

Punctum Difficultatis 1.

Recensentur aliquæ Responsiones.

RESPONDENT 1. Nominales, & concedunt,
* m 3 ad de-

ad denominationem intrinsecam, requiri mutationem intrinsecam: concedunt, denominationem uniti, inter humanitatem & Verbum, esse adaequatè intrinsecam: concedunt, in natura humana fuisse mutationem intrinsecam: concedunt, necessariam fuisse formam, vel quasi formam novam, per quam fieret illa mutatio: & his omnibus concessis, negant, quod VERBUM non sit forma, vel quasi forma, ratione cuius, vera est denominatio, quod humanitas unita sit VERBO; ipsa enim increata VERBI Personalitas, est ratio formalis, per quam, humanitas, de non subsistere actu, transit ad subsistere actu.

C O N T R A. Quero, quare natura humana transit, de potentia subsistendi Personalitate divinâ, ad actum subsistendi? respondes, haberi id ratione Personalitatis divinæ: quero, per quid transit ipsa Personalitas, à non esse actu terminantis, ad esse actu terminantis? respondes, mutatione factâ in naturâ: quero ulterius, potest esse Persona VERBI & humanitas, & non esse illa mutatio; per quid ergo transitur, ad illam mutationem, & quid est illa mutatio?

R E S P O N D E N T 2. Nominales. Quod illa mutatio sit aliquid præter illa duo, prout aliquid, non est nihil; non tamen est aliquid, quod sit idem, quod ens per se, & habens quidditatem propriam & existentiam, quæ per se possit terminare actionem agentis; nec est primò seipso Ens, sed modus essendi. Unio autem hypostatica est revera aliquid à parte rei; est enim nova denominatio humanitatis, secundum quam humanitas, existit differenter à seipso, utpote jam habens determinationem ad terminari Personam divinam; qui modus essendi procul dubio est aliquid; quis enim dubitet, num sit aliquid, id, quod est, duo subsistere indivisi in eadem hypostasi divina.

C O N T R A. Potest esse entitas naturæ, & entitas Persona divinæ, & non esse id, quod est, naturam humanam habere in divinum subsistere cum VERBO, per quid ergo transit, ad habere in divinum subsistere? Concedo, quod hæc suppositatio non sit nihil: Concedo, quod unio sit modus essendi; sed querere restat, per quid transatur ad istum modum essendi? cùm iste modus essendi, nullam novam entitatem importet. Et sicut ad modum essendi, qui est relatio, transitur præsupposita aliquâ mutatione, seu ratione fundandi, ostende quidnam sit simile in præsenti. Reditq; argumentum. Potest esse natura humana, & subsistentia VERBI, & non esse illud aliquid, prout opponitur nihilo; per quid transitur ad illud aliquid oppositum nihilo?

R E S P O N D E N T 3. Nominales. Necessariam omnino esse hanc determinationem, quæ autem illa sit, jam explicant, & dicunt, ly, *Per quid,*

significare tria genera causarum: scilicet, per quid determinetur adivinè, Per quid formaliter, & Per quid materialiter. Quidam *primum*, acti-
vè determinatur à principio activo, ejusq; actione: estq; omnino necessè ponere hujusmodi actionem: alioquin non ponetur hinc effectus in humanitate, qui est, illam subsistere divinè. Et ratio est: quia sicut agens est primum principium, unde motus, ita actio est primus actus, à quo incipit motus. Unde mirum non est, quod VERBUM & humanitas, potuerint simul existere, sine unione hypostatica: si nimis Deus (utiliter potuit) non exercuisse vim activam, suspendissetque illam actionem, quæ necessaria fuit ad hunc effectum, qui est subsistere actu in VERBO. Quia vero hæc determinatio est extrinseca, jam aliam intrinsecam assignant, dicuntque duplē esse intrinsecam determinationem, per quam Natura ad esse terminata, & Persona ad esse terminantis, transit; una quidem determinatio, est quasi in genere cause formalis, per ipsammet subsistentiam; altera in genere cause materialis; & hæc habetur ab ipsa humilitate. Quando itaque queritur, per quid determinatur formaliter humanitas, ut subsistat in VERBO? respondet, determinatur formaliter per actum hypostaticum, ipsa vero Persona divina per nihil aliud formaliter determinatur, in ordine adhuc effectum, qui est subsistere, quia & omnes alia formæ & actus, cùm sint actus, & ipsum, Quo aliud est formaliter, non indigent alio actu, & alio. Quo. Dicunt autem, hanc responsionem à se allatam, circa determinationem humanitatis & VERBI, esse scientificam, primam, & necessariam. Cùm enim juxta Philos. 2. Posterior. c. 7. omnis quæstio petat causam & medium; & si est scientifica, petit causam primam & necessariam, id est, quæ posita non potest non poni effectus, quæ substantia non potest non tolli, ex 2. Physicor. tex. 20. & 38. proinde, & hæc quæstio, per quid humanitas actu uniatur VERBO? causam querit; etiamq; primam & necessariam. Argumenta autem opposita querunt causam causæ, querunt enim causam formalem causæ formalis, cuius nulla jam alia causa assignari potest; vitiosèque assignatur, sive ponatur aliquid modale, sive reale, quod ipsum reprehendit Philosophus 2. de Animatex. 7. Sicut enim materiæ, non est alia causa materialis, sic nec formæ alia causa formalis; alioquin in quolibet essent due formæ, & due materiæ; in dō innumeræ: cùm etiam de secunda causa querri possit, per quid causet formaliter vel materialiter? & sic in infinitum; vel si dicatur causare per se & immediatè: cur etiam prima id non faciet? Quodsi dicas, recursum debere fieri ad causam alias generis, hoc jam in præsenti afferetur. Quando igitur queritur, per quid e. g. anima est unita actu corpori?

respon-

Disputatio IV.

139

respondeatur, quia agens eam univit, ipsa anima exerceente actum secundum formam, & materia exerceente actum secundum materiam, ut fiat totum & homo. Nec aliter Aristoteles ipse respondit: nam 8. Metaph. t. 8. *Quae hujus causa est, inquit, ut quod potentia est, actus sit, in quibus est generatio est, prater illud quod fecit? nulla enim alia causa, ut actus sphaera sit, quae potentia sphaeratur.* Et t. 17. *Quare nulla alia causa est, nisi si quod fuit, tanquam ex potentia in actu movens.* Quod autem de unione dicitur, idem de actualitate humanitatis dici debet. Quare, inquit, & nos, quando ad questionem, per quid formaliter intrinsecè determinetur humanitas, ut sustentetur, & VERBUM ut sufficiat? Respondemus: quod formaliter intrinsecè determinantur suis entitatibus, secundum certam habitudinem sumptis: recte, inquit, & scientifice respondemus: quia, questioni formalis, causam formalem assignamus: ipsis autem formalis, non aliam formalem, ut Modaliter, sed alterius generis causam, nimis determinationem ab agente extrinsecè factam, ostendimus: preter quam, nihil aliud requiri: cum ad tollendam uniuscujusq; rei indifferenter, alterius oppositorum, ad quod est indifferens, praesentia, vel informatio sufficiat, ut docet Aristot. t. 63.

CONTRA 1. Restauratur argumentum. Impossibile est transire à contradictione ad contradictionem sine mutatione sufficiente: Ergo & à non esse actionis, ad esse actionis, determinantis indifferentiam humanitatis & VERBI, transire non potest sine sufficienti mutatione: quae autem illa? Rursus: Potest esse Persona VERBI & natura humana, & tamen Persona VERBI non habere determinationem à se ipsa, ad praestandum hunc effectum, qui est, subsistere naturam humanam: potest item esse entitas humanitatis, & non habere rationem personatae à VERBO: potest insuper, existente Persona VERBI & humanitate, non esse illa actio determinativa in genere efficientis: quid ergo est ille accessus ejusdem: Cumq; illa actio per illos nihil sit novum, præter ipsam naturam humanam & Personam VERBI, quae possunt esse, & non haberi ratio actionis: quero, quid est illam haberi?

CONTRA 2. Quia, quamvis impossibile est, ut sit Persona VERBI à parte rei, & non constitutum VERBUM prout distinctum ab aliis personis, potest tamen esse VERBUM à parte rei, & non terminare naturam humanam: per quid ergo transit ad esse terminantis eandem? & cum, ante assumptionem, se ipso non transierit ad assumentem, cur modò se ipso, transit ad assumentem?

CONTRA 3. Quia quamvis formam (idem die demateria) non indiget determinari, in genere causae formalis, & secundum rationem

formam, ab alia forma: idq; reprehendat Aristoteles: neq; enim est necesse albedinem dealbari aliā albedinem; nihilominus restat querere, cum illa forma, qua in ratione forma non indiget formari aliā formam, possit non esse informativa hujus subjecti, per quid transit, ad esse informativam? cumq; illa forma possit esse non nisi sibi & in se, ut loquuntur oppositi: possitq; etiam esse sibi & in se, simulque alteri: per quid transit, ut sit etiam alteri? Addo ideo, in genere causae formalis v.g. prout importat rationem formam, non est necesse aliā determinatione determinari illam ad rationem formam: quia hoc ipso, quod est à parte rei, habet illam rationem formam: ita ut id nec divinitus ab illa separari possit: transitq; à non esse habentis rationem formam, secundum formalitatem formam, ipso sui existentia, ipso suo esse extra causas, ipso non esse, mutato in esse: quae etiam taxa est, per quid aliquid seipso transeat ad esse talis. Quia vero potest esse à parte rei forma, habereq; suam entitatem extra causas, & non habere formalitatem esse alteri, seu actu informantis: restabit querere, per quid transeat ad illam partem contradictionis? Denique hac in materia, duo in forma (idem dic de subjecto) distingui possunt. Imd habet rationem formam sub formalitate formam secundum se: 2dū habet rationem formam sub formalitate formam (ut oppositi dicunt) alteri, seu formalitatem aliud informantis: quae formalitas, licet trahat secum priorem, illaque identificetur quoad rectum: non enim aliā entitate forma est formasibi, & aliā entitate forma alteri: nihilominus, quia haec secunda formalitas, potest abesse, ideo queritur, per quid transcat ad illam habendam? Unde immemorim imponitur nobis, quasi dicamus, formam in genere formam ab alio determinari, cum non nisi intentum sit, evincere, quod in genere actu informantis, vel actu alteri, ut dicunt, indigat determinativo: cum possit esse, & non esse alteri.

RESPONDENT 4. & ante responsionem.

SUPPONUNT 1. Quod omnis actio, debeat terminari ad dandum esse aliquid alteri; adeo, ut si nihil per actionem recipiat Esse, impossibile sit, etiam imaginari actionem. Porro Esse alteri, potest dupliciter tribui: nimis vel ex nullo præexistente esse: sicut accidit in creatione Angeli; vel ex præexistente esse: uti fit quando resurgit homo.

SUPPONUNT 2. Duo esse actionum seu productionem genera. Aliæ enim actiones factivæ, aliquæ communicativæ dicuntur; & per hoc ad invicem differunt: quia actio factiva, à non esse simpliciter, tendit ad esse simpliciter; unde & terminus illius supponitur simpliciter non fuisse; & nunc per actionem, Esse, simpliciter, producitur, ut patet in creatione Angeli. Actio

*m 4

verò

Verò communicativa, non tendit ad esse simpliciter, sed ad esse secundum quid, & per illam fit aliquid novum, propter solam communicatiōnēm, seu unionem duorum in eodem esse: ut patet in resuscitatione hominis, in qua nec anima fit simpliciter nec corpus; sed anima fit, ut ita dicam, incorporata, & corpus fit animatum: & ex utroque, fit novum ens compositum.

SUPPONUNT 3. Terminos formales *Quo*, utriusque istius actionis, per hoc differre: quod terminus formalis *Quo* actionis factivā, ita terminet, ut simul accipiat esse sibi, & simul det esse alteri: sicut v. g. formae materiales, & ipsae accipiunt esse sibi ab agente, & simul dant alteri, esse formale, tanquam *Quo* formaliter est aliud. Terminus autem formalis *Quo* actionis communicativā, non accipit per eam actionem esse sibi; sed tantum, per suum esse, ante præhabitum, dat esse formaliter alteri: anima enim hominis resuscitati, quæ est terminus formalis *Quo* resuscitationis, non accipit esse sibi, sed dat formaliter esse alteri, &c. His suppositis

FORMANT RESPONSIONEM. Quod omni actioni respondeat peculiaris terminus, itemq; decreto efficaci; sed id etiam in præsenti dicunt haberi. Terminus enim formalis hujus actionis, per quam VERBUM Caro factum est, est ipsa Persona VERBI; hæc enim principaliter se habet in constitutione hujus totius, quod est Christus: id autem, quod se habet principaliter in constitutione totius, terminus formalis *Quo* dicitur, ut videre est in anima constitutive hominem. Terminus formalis *Qui*, est totum illud formale, constitutū ex personalitate VERBI, & naturā humanā. Terminus autem totalis, est totum illud constitutum ex Persona divina, & ex duabus naturis, humanā & divinā: per quod etiam hi duo termini differunt. Hæc igitur actio divina, in quantum intelligitur tendere ad terminum formalem *Quo*, est mērē communicativa, cuius terminum formale non est necesse produci, sed sufficit nonnisi alteri extremo communicari. Et sub hac formalitate, terminus iste formalis, potest terminare actionem agentis positivam: siquidem actus subsistendi naturæ humanæ, sine dubio, est aliquid positivum, & novum, quod antea non fuit: vi cuius sit, ut VERBUM, quod in ante nonnisi inse, & sibi, fuit ratio personandi, fuit ratio personandi alteri, nonnirum naturæ humanae. Et hac ratione, persona VERBI bene potest dici terminus actionis Incarnativā, & Generationis æternā. Siquidem, ut est terminus generationis æternæ, non comparatur cum natura humana secundum rationem actus, neq; humanitas cum VERBO, secundum rationem potentiarum; sed utrumque comparatur per modum actus & actus: adeoq; non faciendo unum per se: Ergo potest dari nova actio, & novum decretum Dei efficax, volentis, hæc duo sibi quodammodo proportionari, secundum rationem actus & po-

tentia: ut unum, sit alteri ratio formalis *Quo* essendi, & subsistendi. Præter autem terminum formalem *Quo*, qui terminus est nonnisi terminus actionis communicativæ, ostendunt terminum *Qui*, qui possit esse terminus quodammodo actionis productivæ: & hic terminus est totum illud, constitutum, ex formali quasi & materiali: non quidem, quod producatur ex non esse simpliciter: sed quod producatur ex non esse secundum quid: quia nonnirum producit illa actio, non quidem subsistens simpliciter, sed subsistens in natura humana: & facit, non ut VERBUM simpliciter vi actionis hujus sit; sed ut VERBUM sit homo. Addunt, illud subsistere non esse novum simpliciter & sibi: esse tamen novum alteri, adeoq; & novum secundum quid: proque illo priori, pro quo humanitas & VERBUM concipiunt indifferens, ad uniri hypostaticè, & non uniti, haberi quidam per modum via: terminum autem haberi, posito decreto.

CONTRA 1. Potest esse natura humana à parte rei, & persona VERBI, & non esse ista actio communicativa; nec actio agentis, quæ vocatur positiva, nec terminus ille formalis exercens rationem formalem *Quo* in humanitate; potest item non esse terminus ille *Qui*: ostendit ergo sufficientem mutationem, per quid ad hæc omnia transeat?

CONTRA 2. Negabunt Modelistæ, dari aliquam actionem communicativam, quæ tamen nullius physici sit productiva; dicentq; Modellæ, in resurrectione, produci aliquid novum entitativum, nempe unionem.

CONTRA 3. Tum quia, concessio, quod omnis actio debeat terminari ad dandum esse: concessio, quod alia sit actio factiva, & alia communicativa: concessio, quod per actionem communicativam fiat aliquid, novum per solam communicationem, seu unionem duorum in eodem esse: querere restat, per quid transeat, ad esse unionis duorum in eodem esse? Concessio, quod terminus formalis *Quo* actionis communicativæ non accipiat illa actione esse sibi, sed alteri; restabit querere: per quid transeat, à non dante esse formaliter alteri, ad esse, dantis esse formaliter alteri? Tum quia, concessio, quod terminus formalis actionis, per quam VERBUM caro factum est, sit ipsa Persona VERBI, & quod illa, in præsenti, habeat rationem principalis, & rationem *Quo*: querere restat, per quid transeat, à non esse habentis rationem. *Quo* actu, in natura humana, ad esse habentis rationem *Quo* in eadem? Tum quia, concessio, quod terminus *Qui* sit totum constitutum ex personalitate & natura humana, & quod terminus totalis, sit totum constitutum ex Persona VERBI, & duabus naturis; restat querere, per quid transeat ad hunc terminum *Qui*, ad hunc terminum totalem? Tum quia, con-

Disputatio IV.

141

concessio, quod actio divina, tendens ad terminum formalem *Quo*, sit ratio communicativa, cuius terminum sufficiat alteri communicari; restat querere: per quid transeat, à non esse communicati alteri, ad esse communicati alteri: Tum quia, posito, quod agnoscatur illic actio agentis positiva, & ejus terminus, qui est ad subsistendi naturae humanae; querere restat: cùm illa actio, per oppositos, nihil sit, præter illa duo extrema, quæ possunt esse, quin sit illa actio: querere inquam restat, per quid transeat à non esse illius actionis positivæ, ad esse illius actionis positivæ: per quid item transeat, à non esse actu subsistendi naturæ humanae, ad esse actu subsistendi: Tum quia, concessio quod hoc, quod est alteri esse rationem essendi, sit effectus novus, & ab ipsis extremis separabilis; querere restat: per quid transcat ad hunc effectum novum? in quo item sit illanovitas? cum esse rationem essendi alteri, per oppositos, nihil dicat, præter humanitatem & personam VERBI. Tum quia, concessio, quod decreti efficacis possit esse hoc objectum, ut VERBUM, quod nonnisi sibi & in se fuit, sit ratio essendi alteri; querere restat: per quid transierit VERBUM, ad rationem essendi etiam alteri? Tum quia, concessio, posse assignari pro termino *Qui*, totum illud constitutum: querere restat: per quid transeat ad illud totum, ad illam pullulationem termini *Qui*, ad illud esse novum secundum quid? Tum quia, concessio, quod possimus concipere Personam VERBI, & naturam humanam prout unibilem nonnisi, & postea, prout unitam; querere restat: per quid transierit ad istud, prout unita: hocque potius, erit illa via, & illud medium.

CONTINUANTUR RESPONSES.

Respondent adhuc quidam cum Typhano, &c.

SUPPONUNT 1. Unam actionem cum alia, duobus modis posse esse eandem, & totidem modis novam, & diversam ab alia: nimirum, vel simpliciter & adæquatè, vel nonnisi secundum quid & inadæquatè.

SUPPONUNT 2. Plura esse, quæ ad perfectam unitatem actionis requiruntur. Sicut enim ad unitatem perfectam motus, requirit Aristot. Physic. tex. 34. unitatem Subjecti, Terminorum, Temporis, & eundem tendendi modum ad terminum: hinc motus circularis & rectus, quamvis ab eodem termino, à quo fiant, & ad eundem terminum ad quenvis tendant, tamen non sunt idem, & unus motus: sic etiam, ad perfectam unitatem actionis, requiritur idem numerus agentis, idem terminus, idem tempus, idem modus agendi. Siigitur actio secundum omnia ista est diversa, erit simpliciter & adæquatè no-

va, si autem aliquid desit, tunc actio inadæquatè tantum, & secundum quid erit non eadem.

SUPPONUNT 3. ex S. Thoma. Quod dignitas & species actionum, proinde & diversitas ac novitas realis, desumatur ex novitate & diversitate reali terminorum. Unde ex parte terminorum, distinguenda est duplex novitas actionum; si enim termini sint adæquatè & simpliciter diversi, etiam actiones erunt tales: si vero termini inadæquatè tantum differunt, etiam actiones inadæquatè different. Quia enim actio, realiter & entitativè, seu ut alii vocant, subjectivè, est eadem cùm suo termino: idcirco, qualis est entitas termini, talis etiam debet esse actionis realitas. Determino autem agendo, consequenter centent terminum, cuius conditionem sequitur actio, interdum esse simplicem, qualis est Angelus; interdum compositum, ut homo; hinc sit, ut actio sit interdum ex parte compositi simplex, interdum composita; cùmq; esse Paulum, non sit quid simplex sed compositum, etiam intervenient duas partiales actiones, quæ uniuertur hoc ipso, quod partiales earum termini, nimirum anima & corpus, in homine uniantur.

His suppositis

FORMATUR RESPONSI. Actionis novæ debet esse novus terminus, eo modo, quod actio nova est. Rursus, actio Incarnationis, est composita: & quia composita actio, ab iis actionibus, quæ terminantur ad partes, eo modo solum differt, quo ipsum totum differt à suis partibus, nimirum inadæquatè: ideo & hæc actio, ab actionibus terminatis ad ista extrema, non differt simpliciter, sed tantum secundum quid; consequenter, non erit aliqua actio simpliciter nova, adeoque, nec erit necesse, huic actioni aliquam novam entitatem, pro termino assignare. Cujus ratio est: quia cùm Christus non sit quædam tertia natura, à VERBO divino & humanitate realiter aut essentialiter diversa; ideo actio Incarnationis, non est tertia, aut simplex quædam actio, ab æterna VERBI divini, & temporali humanitatis assumptione, generatione, sed sunt duas illæ generationes hypostaticæ indivisæ. *Ex quo*

INFERUNT. Quod generatio æterna Filii Dei, quæ ante Incarnationem erat sola generatio VERBI, postea in Incarnatione, & ut terminatur ad VERBUM unitum hypostaticè, est Incarnatio activa: & similiter generatio humanitatis Christi, quæ fuisset generatio hominis puri, si humanitas illa sola fuisset & separata à VERBO, quia modò terminatur ad humanitatem realiter unitam VERBO, evadit jam generatio, hominis Dei.

CONTRA. Potest esse actio terminata ad naturam humanam, & productio VERBI, & non esse totum hoc hypostaticum: per quid ergo transitur ad esse hoc totius? Item, potest esse hæc utraq; productio, & non haberi ista secundum

dum quid nova, secundum quid diversa, secundum quid distincta actio; per quid ergo transitur ad illam? Concedo, actionem incarnativam esse duas actiones compositas: sed cum potuerint esse illae duas actiones, unaquaeque per se, & non habere rationem compositae actionis: querere restat, per quid transferint ad esse compositae actionis? Concedo, quod actionis novae novus debeat esse terminus, & quidem comodo, quo actio nova est; sed reddit argumentum: Nisi ponatur nova actio productiva alicujus novae entitatis, non poterit esse sufficiens mutatione, ad transcurrentem non esse uniti, ad esse uniti: quae enim illa? Concedo, quod composita actio, ab aliis actionibus, quae terminantur ad partes, eo modo soleat differre, quo ipsum totum differt a suis partibus; sed nego, quod a non esse totius, ad esse totius, possit transire sine sufficienti mutatione; quae autem illa? Nego consequenter, quod actio illa non differat simpliciter ab actionibus terminatis ad ista extrema: cum non transeatur ad esse totius, illis actionibus ad extrema terminatis: praeципue, cum possint esse illae actiones, & illa extrema, & non esse unio. Concedo, quod Christus non sit tercia entitas, a VERBO & humanitate individuus; sed nego, quod VERBUM & humanitas, ad esse individuum, transire possint sine sufficienti mutatione: quae autem erit? consequenter, actio incarnativa erit actio, terminata ad id, quod salvat illam mutationem. Concedo, quod actio incarnativa, sint duas generationes hypostaticae individuæ; sed querere restat: per quid transeatur, ad esse hypostatæ individuarum? Concedo, quod generatio æterna, prout terminatur ad VERBUM humanitati unitum, sit Incarnatione aeterna; sed querere restat: per quid ad hoc transeatur? Addo, Negabunt Modalistæ, actionem, realiter & entitative esse idem cum subjecto; cum cam distinguant modaliter. Rursum, quamvis totum nihil aliud sit a suis partibus unitis, collectivæ sumptis, dicent tamen Modalistæ, illas, unitas & collective acceptas, involvere modalitatem.

RESPONDENT ultimò alii, cum P. Sigismundo Zaranek, qui suo tempore habebatur inter prima ingenia. Datur distinctio formalis ex natura rei, quæ est alias formalitatum, & quidditatum, reperibilis in rebus sine fictione intellectus: quæ ipsa distinctio adhuc duplex est; aut enim est formalis tantum, aut modalis, idque appropriata dicta, vel non. Formalis tantum, est alias actualis rationum seu formalitatū objectiva, quæ nec sunt res distinctæ, nec modi reperibiles in una entitate ante operationem intellectus, cuiusmodi distinctio, est inter gradus superiorum Metaphysicos & differentias. Modalis autem appropriata dicta, est alias actualis modorum essendi appropriata dictorum, in-

ter se, aut à modificato separabili ad ipsius permanentiam: cuiusmodi alias, est inter actionem & passionem, respectusq; transcendentiales. Modalis autem non appropriata dicta, est actualis alias modorum essendi, non appropriata dictorum, aut à modificato inseparabili ad ejus permanentiam, cuiusmodi alias est inter modos inseparabiles, & inalteratis aptitudinalis, & inter Ens, a quo, ad ejus permanentiam, nequeunt separari. Porro modi, licet accipienteant pro Entitatibus, non fixum & ratum, sed affixum esse habentibus: probabilior tamen est, ex antiquioribus modorum auctoribus, cui faciat Suar. corum acceptio: quæ modi appropriate dicti accipiuntur pro modis essendi, non entitative, sed effectivæ, formaliter, & quidditatively, distinctis ab aliis rebus, quæ non sunt modi essendi, separabiles a suis fundamentis, non ad suam, sed ad talium fundamentorum permanentiam; in qua acceptione, definiri possunt modi, quod sunt rationes essendi intrinsecæ, ex natura rei distinctæ formaliter à modificatis, separabilibus ad sui permanentiam, tribuentes ipsis modum essendi diversum, diverfamq; denominationem. *Hæc doctrinæ suppositionis*

FORMANT RESPONSIONEM dicuntque. Posse esse humanitatem Christi, & non unitam VERBO, si non sit modificata modo illo effectivo: secus si sit illo modificata: dicunt ulterius, determinativum, per quod transitur a non esse uniti ad esse uniti, esse modum quidditatively & effectivæ distinctionem: licet determinativum illud, non sit modus entitativus: sufficit enim modus essendi, appropriate dictus: dicunt denique, ad hoc, ut aliquid transeat ab uno contraditorio ad aliud, non requiri, ut mutetur intrinsecæ & entitative: alias nec Deus sine sua mutatione transiret ad esse creantis; sed sufficit, quod mutetur extrinsecæ, novasque subeat denominations, per extrinsecas mutationes. Et ita in praesenti materia, Unitum, novam, inquietunt, subit denominationem, per extrinsecam mutationem differentiæ temporis, cui est alligata unitio, vel actio divina, movens humanitatem, de potentia obedientiali dependendi à VERBO suppositaliter, in actu dependendi ab eodem suppositaliter, obedientialiter.

CONTRA I. Potest esse natura humana, & non habere modum istum effectivum? per quid ergo transitur, ad habere modum effectivum? & per quid ille ipse effectivus modus, transit a non esse modi effectivi, ad esse modi effectivi?

Negare vales si dicas, quod pullulet ille modus effectivus, quæ pullulatione illius positâ, scilicet jam transit ille modus effectivus, a non esse modi effectivi, ad esse modi effectivi: non inquam vallet; quia sunt aliqua, quæ scilicet transiunt a non esse ad esse, nullâ mutatione extra se positâ: ut, cum novo sui esse, transit angelus, a non esse

Disputatio III.

143

esse, ad esse: alia sunt, quæ scipis transitre non possunt à non esse ad esse: v. g. paries unus albus, non transit scipso ad esse similis, sed requiriatur mutatio in alio pariete; detur ergo regula, ex qua dignoscatur, quidnam scipso transire posse, à contradictorio ad contradictorium, quid non possit? ex quâ regula, si sit legitima, intelligetur, quod scipso non transeat ille modus effetivus, prout hic defenditur, à non esse modi effetivi, ad esse modi effetivi. Pernos au-tem hæc regula datur. Ea transeunt scipis, quorum Entitas physica ponitur, illaque positâ, jam non potest non reperiri illa denominatio, de qua queritur. Ostendit hoc inductio in qua-
cumque materia formabilis. Sic, à non esse albedinis, transit albedo, scipso positâ, Angelus item &c. Ratioq; inductionis dari potest: quia ly scipsum, definitivè est repetitio ipsius se: re-
petitio ipsius se est repetitio suæ Entitatis; conseqüenter, transeire scipso ad scipsum, erit
transeire suâ entitatē, ad suam entitatem; & quia potest esse entitas humanitatis, & entitas VER-
BI, & non esse transitus ad esse uniti: ideo hæc scipis non transeunt, ad esse uniti: cumque ipse ille modus effetivus non afferat novam physi-
cam entitatem: hoc ipso, non affert id, quod scipio dicatur transire.

*Neque valet, si dicas, quod afferat / e, sed es-
fetivum: quia de hoc ipso se effetivo, redit quæ-
stio: cùm istud ly Effetivum, non afferat no-
vam entitatem physicam, non potest ostendī,
quod illi quadret regula, ostendens, quænam scipis ad contradicitoria transeant: sicut scipso,
per modum effetivum, non transit paries, qui est
unus albus, ad esse similis. Tum quia interdum
salvatur transitus à contradictorio ad contradic-
torium, sine mutatione intrinseca, ut in Deo
transeunte ad esse creatoris; interdum cum
mutatione intrinseca, ut cùm transitur à non
esse calidi ad esse calidi; detur ergo regula le-
gitima, hoc taxandi: ex qua, si sit legitima,
inferetur: quod, à non esse modi effetivi,
ad esse modi effetivi, non possit transiri sine
mutatione; quæ sufficiens esse non possit nisi
sit, saltem in alterutro unitorum, intrinseca.
Regula hæc à nobis assignatur. Mutatio suffi-
cientis, transitus à contradictorio ad contradic-
torium, debet esse proportionata denominationi,
quæ tunc acquiritur: ostendit hoc inductio.
Neque enim per mutationem factam acquisi-
tione caloris, evadit aliquis sapiens, aut per soli-
tariam albedinem, similis. Et certè, si non sit
proportionata mutatio denominationi, hoc ipso
non erit sufficiens; cum enim illa mutatio ha-
beat vim, suo modo causandi illam denomina-
tionem: si illi non sit proportionata, ex ipsa
improprio, vim causandi illam denomina-
tionem, non habebit. Porro denominations
aliquæ sunt intrinsecæ, v. g. denominatio albi:
& in his proportionata mutatio, non est alia,*

nisi intrinseca: alia sunt denominationes me-
rè extrinsecæ, qualis est denominatio cogniti,
si cognitum non quâ relativum sumatur; & in
his mutatio, sufficit extrinseca: alia sunt mu-
tationes intrinsecæ ad extrinsecum, ut deno-
minatio similis, æqualis, omnesque denomina-
tiones relativaæ, quæ tales; & quia in hoc con-
creto, quod est ratio intrinseci ad extrinsecum,
habetur & ratio intrinseci, & ratio extrinseci;
etiam mutatio debet esse intrinseca & extrin-
seca: & sic paries albus sibi intrinseca albedi-
ne, transit ad rationem similis, sed in circum-
stantia, extrinseci sibi, aliū albi. Denique ali-
quæ sunt denominationes ex ly Cum, ex ly Si-
mul, ex ly Secum, idque substantiales, vel acci-
dentales; ad tales denominationes, præter en-
titatem eorum, quæ Cum, Simul, Secum &c. di-
cunt, debet ostendi mutatio in aliquo dicente
ordinem illius Cum, illius Simul, quia hoc ipso
non eset proportionata illa mutatio; nam ad
rationem v.g. Cum, quæ est denominatio ordi-
nem importans, non potest esse proportionata
mutatio, nisi dicens etiam istum ordinem; ci-
enim quod importat rationem ordinis, non est
proportionatum, non importans rationem ordi-
nis; ostendatur ergo, quid sit illud, quod di-
cit talem ordinem, sitque mutatio quæsita, ad
esse illius modi effetivi?

*Competitum breviter hac ratio. Concedo,
quod sufficiat interdum mutatio extrinseca; o-
stende quænam hic illa, eaque sufficiens, ut
transeatur ad esse modi effetivi? quorsum
item recurratur, quod sufficiat mutatio extrin-
seca, cùm modus ille effetivus, sit quid intrin-
seca? Tum quia de hoc ipso quæritur, quid sit
alligari certæ differentiæ temporis unionem?
per quid ergo transitur ad illam unionem?
Tum quia potest esse humanitas Christi &
VERBUM, & non esse actio movens humani-
tatem, ad esse actu dependentis, suppositaliter,
obedientialiter, à VERBO, per quid ergo ad
hoc transitur? Tum quia decernente Deo, ut
hic paries sit similis, debet respondere muta-
tio, solaque voluntate Dei alligata certæ diffe-
rentiæ temporis, non transitur ad hanc deno-
minationem. Ergo nec transitibit illa ita alli-
gata voluntate, ad denominationem uniti.*

*CONTRA 2. Quia ipsa quæ indoctrina assu-
muntur non satisfaciunt. Tum quia, non vide-
tur esse commoda illa distinctionis formalis ex
natura rei ut sic definitio; quia nihil loquitur
de alienate actuali, cùm alienas, possit etiam esse
aptitudinalis; nec hæc definitio distinguit dis-
tinctionem hanc formalem, à distinctione ra-
tionis ratiocinatae, quæ etiam dicit alienatam si-
ne fictione intellectus, sed non actuali. Etsi
in definitionem distinctionis formalis tantum,
positum est ly actualis: cur non etiam in defini-
tione distinctionis ut sic formalis? Et certè, cùm
tam*

P
MLOD
OWSKI
13.6.14.
VI
G

tam de distinctione formalis tantum, quam de distinctione modalis appropriata, & non appropriata, dici possit alietas actualis: sicut de illis dici potest, est distinctio formalis, tanquam divisum de suis dividentibus: hoc ipso ostenditur, alietatem actualem esse praedicatum genericum, adeoq; in rationis generica definitione, ponit debuisse. Tum quia ly appropriate, supponit pro eo, quod, ex usu & acceptione Doctorum, hoc vel illud significat; indubie autem, si quis, extra presentem discursum, dicat, se non tenere modos, non supponit, quod non teneat modos effettivos, sed Entitativos: unde etiam illi appellantur modalistae, qui defendunt modos Entitativos. Quod autem haec acceptio sit cruta ex antiquioribus modorum auctoribus, illi citari debuissent, qui etiam tanto pondere, hanc noviter excitatam questionem, non tractarunt, licet fundamentum præstent trahantibus. Suarez, ad quem provocatur, nec ullus Antiquiorum aut Recentiorum habet distinctionem in modos effettivos & entitativos, sensu à respondente usurpato. Et, si Suarez querit, an unio in corpore humano, sit materialis vel spiritualis? certè non querit de formalitate ex natura rei, vel modo effettivo. Sed de mente Suarei, actum in materia de distinctionibus. Tum quia dicitur actionem & passionem esse modum appropriate dictum, jam autem in alietatem, & inseitatem, non appropriate dictos, sumendo in alietatem & inseitatem aptitudinalem: cur ergo, sicut inseitas & in alietas extrahuntur ad conditionem modorum non appropriate dictorum, per aptitudinalitatem, nam in alietas actualis potest non convenire accidenti, permanente ejus entitate; cur inquam etiam actio aptitudinalis, non debet dici modus non appropriate dictus: cùm fine aptitudinali operari, non possit permanere ens; nam, esse est propter operari.

CONTRA 3. Quia hic modus effettivus, idem dic de formalitate ex natura rei, actu nemine cogitante pullulante, nullo modo distinguitur, nisi verbo solo, ab entitativo modo. Quia ille modus est, nemine cogitante est contradictoriè oppositum non enti, ens est: consequenter, ille modus erit ens: cur ergo adjectivè non dicitur modus entitativus? Neque valet si diccas, sufficere, quod sit nemine cogitante *Entis*; quia quero, quid deest illi, ne ita sit *Entis*, sicut & modus, ex ratione modi, est *Entis*? Habet item ille modus effettivus existentiam suam nemine cogitante, haber & modus entitativus. *Dices*, habet existentiam modus effettivus, non nisi distinctam ex natura rei, non autem entitativè, à modificatis. *Contra* erit: hoc, quod est habere nemine cogitante distinctam existentiam, licet non nisi formaliter ex natura rei, modò inferat esse actu oppositum non enti, nullo certè differt à vera existentia entitativa. Rursus,

est ille modus effettivus terminus actionis unitivæ: quid illi deest, ne sit modus entitativus? cumque defacto accipiat esse oppositi nihilo actu: quomodo non est terminus actionis dantis existentiam? Rursus, ille modus effettivus est oppositus nihilo, non oppositione extremorum, quæ unit, sed scipio: adeoque suā entitate distincta ab extremis; quid ergo illi deest ad rationem modi? *Dices*, illum modum non esse ens per se; quero, quo sensu, non est ens per se? si nimō est ens per se, quia ille modus non est ens substantiale: idem dicent, qui modum pro connotato ponunt. Et si illa formalitas ex natura rei, seu ille modus effettivus, est substantialis: Ergo etiam erit ens per se: quid ergo illi decriit, ne sit modus entitativus? *Dices*, quia non habet quidditatem propriam. Imò habet; quia habet propriam definibilitatem, & est ratio objectiva intelligibilis nemine cogitante. *Dices*, te non tenere quod habeat ista formalitas, vel iste modus effettivus, distinctam etiam ex natura rei existentiam. Contra erit: quia illa formalitas erit opposita actu nihilo: quomodo ergo non est ens actu? si est ens actu, quid illi desideratur, ne dicatur habere existentiam actu? Deinde etiam illa formalitas, ille modus effettivus, est interdum intra causas, interdum extra causas; est enim, ut dicunt, separabilis; si autem est interdum extra causas: Ergo existit, existere enim, est extra causas esse: si existit, quid titulo existentiæ illi deficit, ne sit modus entitativus? *Dices*, quod per se non possit terminare actionem agentis. Contra erit. Terminat imprimis actionem agentis communicativi; & si antea erat nihil, modò opponitur nihil, nec est quid increatum: quomodo igitur actionem agentis non poterit terminare?

INFER per modum Conclusionis. *Qui tinet modum effettivum, vel formalitatem ex natura rei, nemine cogitante actu pullulantem, habentemque existentiam formaliter ex natura rei distinctam, est in re ipsa tenere entitatem modalem.* Ratio ex dictis, quia haec nihilo differunt.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur argumenta, quæ potius ostendunt, quod unio non sit Modalitas.

PRæter argumenta in Physicis allata, pono imprimis objectiones, mei in Theolog. Profess. P. Venceslai Darowski. Cum quo

OBJICITUR 1. Suppositatio & terminatio, quâ suppositatur natura humana in VERBO, non est aliqua entitas media, inter humanitatem & VERBUM; sed unio hypostatica, est ipsissima terminatio formalis seu suppositio: Ergo non est media entitas, inter humanitatem

Disputatio IV.

145

tem & VERBUM. Major probatur; quia natura humana in Christo, terminatur & suppositatur formaliter immediatè, ipsamet increata subsistentiā & personalitate VERBI: Ergo suppositatio & terminatio, secundum id, quod dicit, ut vocant, in recto, non est entitas media inter naturam humanam & VERBUM.

R E S P O N D E T U R. In nostris principiis conceditur totum, neque enim per nos, illa modalitate media, unitur humanitas & VERBUM, sed seipso modo explicato; ita tamen, ut hoc non possit fieri, sine presupposita mutatione, ratione illius determinativæ modalitatis.

In aliorum principiis, dicitur communiter, negandam esse majorem. Probatio illius distinguitur. Natura humana in Christo terminatur & suppositatur formaliter & immediate ut Quod, à Persona divina. Conceditur Antecedens. Ut Quo. Negatur. Ut Quo enim suppositatur à media illa entitate, tanquam à via & medio, ut fiat terminatio: Ut Quod autem, à Persona divina, tanquam ratione Quæ terminandi, & principio suppositandi formaliter.

I N S T A B I S 1. Id, quo formaliter, & exercitè, & in actu secundo terminatur & suppositatur natura humana in Christo, debet esse, ipsum formale & exercitum subsistere divinum filiale; sed nullum ens creatum, quale est illa entitas intermedia, est ipsum formale, actuale, & exercitum subsistere divinum filiale: Ergo nullum ens creatum, proinde neque entitas intermedia, potest esse id, quo formaliter, exercite, & in actu secundo terminatur & suppositatur natura humana in Christo. Major probatur. Natura humana in Christo subsistit filialitate divinæ: Ergo id quo formaliter, exercitè, & in actu secundo terminatur, & suppositatur natura humana in Christo, debet esse ipsum formale, actuale & exercitum subsistere filiale divinum. Consequentia probatur; quia hoc, quod est, naturam humanam subsistere filialitate divina, ab eo tantum habet natura humana, quod est ipsum, Quo formaliter, exercitè, & in actu secundo, filialitas divina.

R E S P O N D E T U R. Quod hic terminus, ratio terminandi ut quo in actu secundo, sit terminus genericus, & ad duo distinctissima restringibilis; nam ratio terminandi ut quo, sumpta pro forma, quæ entitatè est terminus, spectat ad ipsam personam; quæ est terminus naturæ, habetque se sicut ratio quæ terminandi, & quod idem est, ut quod terminat. Ratio autem terminandi ut quo, accepta pro via & medio, quo se terminus ille actu communicat, est illa entitas intermedia per Modalistas. Vi ergo hujus doctrinæ distinguitur major. Id quo formaliter, exercitè & in actu secundo, tanquam per formam quandam, terminatur natura humana in Christo, debet esse ipsum filiale esse divinum. Conceditur Major; quo, tanquam medio &

viâ communicandi illum terminum, terminatur natura humana, debet esse ipsum Filiale esse divinum. Negro majorem.

I N S T A B I S 2. Ut natura humana subsistat in Christo actualiter, debet id habere ab aliquo actu: at hic actus, per Modalistas, nullus potest assignari. Quia imprimis non potest dici, quod hoc habeat ab illo actu, qui dicitur esse, Id quo, formaliter, exercitè, & in actu secundo, terminatur natura humana; quia istud quo, est aliquid creatum, adeoque non est ipsum filiale subsistere: neq; etiam potest id habere ab ipso præcisè subsistere divino; siquidem ipsum subsistere divinum, prout ab illa modalitate præciso, non est per modalistas, Id quo natura humana terminatur & suppositatur formaliter, exercitè: jam autem natura humana non potest aliunde habere, id quod est subsistere actualiter, divinè, nisi ab eo, quo actualiter terminatur & suppositatur.

R E S P O N D E T U R. Diverso modo id haberi à Modalitate, nempe tanquam à via & medio; & diverso modo, ab ipsam filialitate divina, tanquam ratione ut quo, simul habente rationem quæ terminandi, adeoque rationem ut quod.

I N S T A B I S 3. Subsistenta increata VERBI, quatenus comparatur ad naturam humanam, præcisè ab entitate modali, nihil confert exercitè humanitati; neque etiam humanitas, comparata ad subsistentiam VERBI, tanquam ad principium terminativum, sortituraliquem speciale effecitum: præter illum, quem habet formaliter ab illa tertia entitate media; alioquin, illa Entitas media, frustra ponetur: Ergo.

R E S P O N D E T U R. A ratione formalis ut Quo, sumpta, pro forma, quæ est terminus, habet aliquod esse speciale humanitas, nempe, Esse divinum, quod ipsum Esse divinum, terminativè dicit illa modalitas; esse autem formale, quod habet ab entitate intermedia, est esse uniti, & esse habentis medium & viam, ut sibi illa persona communicetur. Nec inde tamen sequitur, otiosam esse illam entitatem intermedium: Si enim personæ competenteresse ita rationem terminandi, ut nunquam indigeret viâ & medio ad terminandum, otiosa jam esset illa modalitas; secus si possit, ut revera potest, esse, & non terminare v.g. naturam humanam.

Hæ rationes ostendunt bene intentum supra, suntq; probationes ejus Conclusionis, quæ dicit, quod formaliter ratio unionis, non sit pendens ab illa entitate. Solutæ tamen sunt ad defensionem communioris sententiaz; unde, & instantiaz allatae concedi possent omnes, in nostris principiis.

O B J I C T U R 2. Communicatio & indivisio duorum secundum idem esse, non potest fieri per aliquam entitatem mediam distinctam ab ipso esse, quod communicatur; sed terminatio

*n & sup-

& suppositatio naturæ humanæ, quam exerceat VERBUM, est communicatio & indivisio duorum in eodem esse: Ergo non potest esse per aliquam medium entitatem distinctam. Minor probatur. Quia, si terminatio & suppositatio humanitatis, quam exerceat VERBUM, non est communicatio & indivisio duorum in eodem esse, verum esset dicere: Est hypostaticum VERBI, non est esse hypostaticum humanitatis; quod est absurdum. Major principalis probatur. Communio formalis duorum, & indivisio quoad Est, est inter ea, quorum unum, vel est id, quod aliud, vel est id, quo aliud: adeoque, ut inter potentiam & actum intercedat communio & indivisio quoad Est; sed si praeter actum & potentiam, esset terra entitas, quæ sit id. Quo, in actu secundo, formaliter & exercitè, actus faciat potentiam talem: sequitur, quod non ipse actus erit id, quod potentialiter id actu, ad quod erat potentia: sed tertia quædam entitas, prorsus distincta ab entitate actus & potentiae.

R E S P O N D E T U R. Communicatio & indivisio duorum secundum idem esse, non potest fieri per aliquam entitatem intermediam, tanquam per terminum & ipsum esse communicatum. Concedo majorem. Communio & indivisio duorum secundum idem esse, non potest fieri per aliquam entitatem tertiam, tanquam per rationem, quæ sit medium, via &c. communicandi illud esse. Nego majorem. Concessaque Minori, distinguitur consequens, & negatur consequentia. In nostris autem principiis, sicut & sequentibus instantiis, conceditur totum: tantum negabitur, quod possit transiri ad illud esse actu, ad quod fuit potentia, sine connotata modalitate.

I N S T A B I S 1. Quia si unum extremum est id, quod alterum formaliter est: Ergo ipsum non esse unius extremi est formaliter ipsum esse alterius extremi; Ergo unum extremum, quæ extremum, est seipso indivisum ab alio extremo quoad esse: Ergo ulterius gratis singitur tertium quoddam esse, quod se gerat per modum mediæ.

R E S P O N D E T U R. Distinguendo consequens primum. Ergo ipsum non esse unius extremi, tanquam formæ & termini, est formaliter ipsum esse alterius extremi. Concedo consequentiam. Ipsum esse unius extremi, est formaliter ipsum esse alterius, per modum viæ, & mediæ, illam rationem communicandi. Negatur consequentia; ad hocque est necessaria illa entitas.

I N S T A B I S 2. Sicut res, cum erat in potentia, laborabat uno non esse, ita, cum est in actu, satiatur uno esse; & actus utriusque plamet actualitate sui esse, tanquam medio, quo formaliter potentiam extrahit ex illo non esse.

R E S P O N S U M, ipsam entitatem uti suo esse, tanquam medio, quo formaliter in genere formæ, termini, complementi, extrahitur potentia ad esse; sed non uti suo esse, tanquam viæ mediæ, ad communicandum illud esse extræcum.

I N S T A B I S 3. Privatio formæ, quæ est in materia, debet tolli per esse ipsiusmet formæ, non autem per aliquid aliud distinctum: non esse enim, non tollitur nisi per esse: Ergo & carentia esse hypostatici divini, quæ est in natura humana, debet immediatè formaliter tolli, ipso esse hypostatico VERBI; non autem per aliquam entitatem distinctam.

R E S P O N D E T U R. Duplicem formæ privationem dici à materia. *Immo* Formæ ratæ, quæ est ratio ut *Quo* in genere formæ, termini, complementi: & hæc tollitur per ipsammet entitatem formæ, termini, complementi, consequenter persona. Aliam autem privationem dicit materia, privationem rationis communicandi, viæ & mediæ ad illam formam; & hæc privatio tollitur dictâ modalitate.

I N S T A B I S 4. Hoc subsistere divini VERBI, quod vocatur *Quo* extremi, seu formæ, termini, & complementi, quando se gerit per modum extremi *Quo*, conservante naturæ humanæ aliquod esse formaliter & immediate seipso, an non confert: si confert: certum est fore increatum; cum nihil habeat VERBUM in seipso, non increatum; proinde si confert aliquid seipso naturæ humanæ, erit id increatum, nimis ipsum subsistere VERBI; quod proinde subsistere, erit formale vinculum, in quo natura humana, colligata est persona divina: siquidem nullum potest esse formalius vinculum duorum, nullaque intimior communicatio & conjunctio, quam si erit indivisum idem utriusque esse; consequenter omne aliud medians vinculum, est superfluum. Siautem dicas, tunc cum VERBUM se gerit per modum extremi ut *Quo*, non conferre naturæ humanæ ullum esse increatum, formaliter & immediate seipso, sed tantum transmittere quodammodo, ad naturam humanam, illum modum creatum mediæ entitatis: & vicissim naturam humanam refundere illum modum in personam VERBI; tunc ex hoc manifestè sequitur, naturam humanam, & Personam VERBI, non communicare secum formaliter illum aliud esse, praeter illud, quod affert ille modus creatus, mediæ entitatis; de hoc autem non est dicere, quod sit ipsum esse formaliter substantiæ divinæ: Ergo inter esse naturæ humanæ, quod habet ex vi illius modi superadditi, & inter ipsum subsistere in creatum VERBI, est divisio quoad esse. Probatur consequentia. Quia ubi habet locum affirmatio & negatio, ibi necessariò est divisio duorum quoad esse: Ergo si de modo illo, addito supra humanitatem, potest affirmari, quod sit quoddam esse creatum, & potest negari, quod non sit ipsum subsistere increatum: sequitur quod natura humana, etiam illo modo media entita-

Disputatio IV.

147

tatis affecta, sit divisa quoad esse, ab increato subsistere VERBI: consequenter dici tantum posset, unio humanitatis in hypostasi, non tamen unito secundum hypostasim: inter quæ duo, observat Cajetanus, ex S. Thoma, differentiationem, h̄c q. 2. a. 5. ad 3.

RESPONDETUR. Illud extremum, quod est persona divina, cūm habet rationem extremitati, confert humanitati in ratione formæ, termini, complementi, aliquod esse formale sc̄ipio immediate: neque enim in hoc genere me- diat quidquam; sed non confert quidquam im- mediate, in genere rationis ut Quo, Medii, Viæ, ut communicet se illa ratio formalis, & imme- diata, sc̄ip̄a tribuens rationem increati, Non est autem majus vinculum, quām sc̄ip̄is uniti: Sed dicent Modalistæ, id non posse haberi in- terea, quā possunt non esse unita & existere: nec ulterius sequetur, quōd ex vi illius modi, sit divisa humanitas ab increato Subsistere VER- BI: quia ille modus essentialiter terminativè, dicit VERBUM, & cūm dicat essentialiter ter- minativè VERBUM, fit ut ex vi illius unio- nis, non dicat humanitas negationem filialis es- se divini.

INSTABIS 3. Admissio illo duplici Quo, in- explicabile erit, quid sit illud Esse id, Quo aliud, tanquam formâ, & quid sit, esse id Quō aliud, tanquam viâ? consequenter, quid sit in homine, id, quo corpus vivit tanquam formâ, & quo vivit tanquam medio.

RESPONDENT Modalistæ. Id, Quo tanquam formâ, est ens ratum, estque ipsa anima v. g. id autem Quō aliquid tanquam viâ, est ipsa illa modalitas: sicut & in principiis oppositorum, unio qua est formalitas, vel Modus essentius, elvia, & id Quo unitur, nemine cogitante, ipse actus & potentia.

OBJICITUR 3. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas istius entitatis modalis.

RESPONDETUR. Necessitatem illius esse ad salvandum transitum à contradictorio.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Argumenta contra Modalitatem pro connotato importatam.

CONTRA modum nostrum defendendi u- nionem hypostaticam, quem innuit Vasq. disp. 18. cap. 3. num. 26.

OBJICITUR 1. Si, antequam intelligatur natura sustentata, & terminata à VERBO, in- telligitur cum illo modo, tanquam cum aliquo prævio: sequitur, quōd simul, atque concipi- tur unita, intelligatur novum aliquid in ipsa: ac proinde, præter ipsam suppositionem & terminationem, quam intelligimus in suo ge- nere à VERBO provenire, tanquam à suspen-

tante, deberet esse alias novus modus in natu- ra ipsa, idque distinctus ab illo præcedenti quem præhabuit: seu potius sequitur ipsam termina- tionem & suppositionem, debere esse aliquid novum in ea; eaque enim fieri potest, ut natu- ra terminetur, & hoc ipso non habeat in se ali- quid, quod non habuit antequam terminare- tur: siquidem contradictionia de aliqua muta- tione, enuntiari non possunt.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Po- sito autem illo modo pro connotato, ponitur a- liquid novum reale in natura, scil. ipsa Persona aſlumens, quā sine illo connotato, non est de- terminata ad assumptionem; ponetur etiam novum formaliter in natura, scil. actus secun- dus assumptionis, ad quem transitur, ratione præviè positæ entitatis Modalis; nec erit jam necessitas ullius aliū modi entitativi consur- gentis.

INSTABIS. Si præter entitatem noviter productam, datur aliquis alijs effectus forma- lis, proveniens à solo VERBO, nimurum, ipsa terminatio & suppositio naturæ, frusta jam ponitur illa entitas modalis determinativa.

RESPONDETUR. Non frustra ponetur, quia non transiretur ad illum effectum formalem, provenientem à solo VERBO, sine ulla entita- te, quā sola est sufficiens mutatio. Et licet sup- positio & terminatio, quā proficiscitur à Per- sona, fiat sine ulla nova entitate superaddita, determinatio tamen illa, non potest fieri sine nova entitate; quia mutatio sufficiens, ut transi- eatur ad esse suppositionis, haberi poterit ex illa posita modalitate, & sine illa non haberetur; nihil autem simile ostenditur, per quid transiri posset ad ipsam illam determinationem.

OBJICITUR 2. Commune argumentum Lu- go, probans, illam unionem, esse modum. Re- pugnat dari denominationem novam realem, absque ulla nova reali forma, à qua proveniat; sed denominatio humanitatis VERBO unitæ, est realis & nova: Ergo oportet aliquid novum à parte rei ponи, ratione cuius sit vera talis de- nomination; hoc autem novum, non sunt sola extrema: potuisse enim esse VERBUM, & hæc eadem humanitas in rerum natura, absque eo, quōd humanitas esset unita VERBO: Er- go debet dari aliquid aliud præter extrema, ra- tione cuius, verificetur hæc prædicatio, & de- nomination formalis nova.

RESPONDETUR. Concedendo totum: hoc autem novum, dicitur esse connotatum il- lud modale. Major deberet etiam, non nisi cum explicatione, admitti; denominatio enim uniti, præter humanitatem & personam VER- BI, in circumstantia illius connotati, est de- nominatio realis, prout realis opponitur ficta: sed non nova realis, hoc est, phyllicè, entitativè ab illa distincta. Quodsi est nova realis denomi- nation, prout opponitur ficta, sufficiet etiam dari

*n 2 novam

novam formalitatem realem, prout opponitur fictæ, quæ sit ipsa unio pro formalitate accepta; non est tamen necesse, ponere novam formam physicam, & entitativam, distinctamq; realiter. Et ita, relatio est forma denominans relatum, quæ forma, est realis prout opponitur fictæ: sed non realis, quasi sit entitativè distincta à fundamento, in circumstantia termini, & rationis fundandi, positu.

I N S T A T 1. Hurtadus. Potest perire unio hypostatica, & separari à natura humana & VERBO, adeoque interire, absq; hoc, quod a liquidum intereat identificatum naturæ humanæ, aut VERBO; Ergo id, quod est humanitatem uniri VERBO, est alia forma, quæ non sit naturahumana, nec VERBUM. Probatur Consequentia; quia non potest aliquid corrumpi & desinere realiter, quin corrumpatur, quicquid est realiter unum & idem cum ipso; & è contra, quod perseverat alio corrupto, non est idem realiter cum ipso.

R E S P O N D E T U R. Sicut potest perire relatio, manente pariete albo, nec tamen relatio distinguitur realiter à pariete; quia non potest perire, si ponatur circumstantia termini, & rationis fundandi; ita quamvis perire possit unio hypostatica, manente persona VERBI & humanitate, non supponitur, unionem hypostaticam esse distinctam modaliter; quia etiam non potest perire, manente humanitate & VERBO, in circumstantia connotatae modalitatis. Dicit etiam posset, quod pereat unio hypostatica, perditione debitâ formalitatibus & connotativis entibus; quas formalitates, & connotativa entia, non est necesse distinguere physicè; licet non pereat tanquam forma physica.

I N S T A T 2. Arriaga. Acceptis illis omnibus phrasibus, quas nominales afferunt, vel est aliquid ex parte objecti, quod antea non erat, vel non est: si non est: ergo non est facta mutatio: ergo nec transitus, à non esse uniti, ad esse uniti: si autem est aliquid ex parte objecti: ergo habetur intentum.

R E S P O N D E T U R. In principiis nostris sufficientem esse illam entitatem modalem pro connotato importatam, non tamen habet per hoc intentum Arriaga: quia ille vult, pro ipso formalium unionis, importari illam entitatem.

I N S T A T 3. Sex semper facit sex, sive dicas bis tria, sive ter duo, sive sexies unum: Ergo etiam, si nihil plus dicit unio, quam VERBUM & humanitatem, quicunque dicas, semper idem dicas.

R E S P O N D E T U R. Dicere plus unionem, nempe illam entitatem modalem, non quidem quæ constitut rationem formalem unicendi, sed tamen quæ sit connotatum prærequisitum.

O B J I C I T U R 3. Assignatà hac modalitate, non assignatur terminus intrinsecus, de novo

productus per unionem, quem requirunt Modalistæ.

R E S P O N D E T U R. Argumentum sicut proponitur non convincere, nam Modalistæ nolunt produci per illam unionem, aliquem alium terminum, sed ipsam unionem dicunt esse terminum, qui producitur; & tamen arguens assumit, quod per unionem deberet aliquid, idque physicè, in sententia Modalium, produci. In sententia, quæ requirit hanc modalitatem pro dispositione, directè dici potest, quod non detur actio efficientis, nisi ad illam dispositivam modalitatem, cui respondet tanquam terminus dispositio illa. In nostris autem principiis, assignatur illi actioni efficienti terminus physicus, nempe modalitas determinativa. Addo, cùm hæc sententia sit media, inter sententiam Modalium & Nominalium, non esse necesse, ut omnia assumpta Modalium indiscriminatum admittat.

I N S T A T I B I S. Ille modus, si est prævius ad unionem, non potest determinare essentialiter & non impedibiliter etiā divinitus, ad esse uniti; sic enim jam divina potentia determinaretur per aliquid præviū creatum, & necessitatur ad uniendum, ab aliquo ente creato, quod non esset unio, sed prius unione.

R E S P O N D E T U R. Argumentum hoc probare multum; probat enim, quod prius non possit determinare essentialiter, ut sit hoc se sequens, & sequens, & posterius; neque enim determinationem sequentis, habet à sua entitate, cùm potuerit esse, & non esse sequens: sed hæc determinatio habetur ab illo antecedente, quod est prius. Probaret item, quod fundamentum relationis, ratio fundandi, & terminus, non determinet essentialiter, & inimpedibiliter, etiā divinitus, ad esse relationis. Sic enim determinaretur per aliquid præviū divina potentia. Probaret item, quod possit esse actio efficientis sine effectu, quia est quid præviū ad effectum. Directè autem dici potest, quod à prævio per rationem non nisi, & habente vim essentialiter determinandi, possit determinari potentia divina; licet ab aliquo prævio tempore, & non habente vim essentialiter determinandi, non possit determinari. Si illo priori modo determinetur potentia divina, nihil absurdum est; ut ostendit allata inductio. Et certè, si aliquid sit præviū, non nisi ratione, & sit insuper illud ipsum in re, secundum omnia quæ ad illud spectant consideratum, sicut in re relatio est fundamentum, terminus, ratio fundandi; non erit absurdum, quod concurrente Deo ad hoc præviū, jam concurrat Deus & ad hoc, quod in re est illud. Item si concurrat Deus ad essentialiter determinativum, hoc ipso ligat se Deus suo concursu, ut non possit non velle illud, ad quod debet esse determinatio; hoc ipso enim convinceretur nolle concursum ad essen-

Disputatio IV.

149

ad essentialiter determinativum; cum tamen revera ad illud concurrerit. Universaliterque, tunc est absurdum ab alio prævio determinari potentiam divinam, quando potest non intelligi, illud præsum producendo, determinare se omnino Deus, etiam ad secundum: haberet enim determinationem, in linea existendi creata, libertas divina, & non à sua voluntate: nam in linea possibili, non voluntas divina possibilitatem, sed possilitas voluntatem divinam determinat. Et quia in re, unio, dicit naturam humanam, Personalitatem, & illud connotatum; dicitque illud connotatum vim essentialiter determinantem ad unionem: sit, ut determinando se Deus ad illud præsum producendum, liget etiam se, ut sequatur unio; tuncque suppositio antecedens tollit libertatem, quando illa positâ, non potest non sequi eventus, & insuper, non est in mea potestate ponere, vel non ponere illam suppositionem antecedentem; est autem in potestate Dei, ponere, vel non ponere, illam entitatem determinativam.

CONTINUATOR SOLVTO.

OBJICIT 4. Quidam, ostendendo, quod hæc entitas modalis sit intrinsecum constitutivum, & pars uniti hypostatici. Positis omnibus constitutivis intrinsecis uniti hypostatici, ceterisvero omnibus ablatis extrinsecis, eo ipso formaliter & immediatè ponitur unitum hypostaticum: quod utique identificatur suis intrinsecis constitutivis. At verò posito VERBO & humanitate, ablata verò modalitate, eo ipso formaliter & immediatè non ponitur unitum hypostaticum: Ergo Verbum & humanitas non sunt omnia constitutiva intrinseca uniti hypostatici; sed præter hæc, illa entitas modalis est constitutivum intrinsecum.

RESPONDE TUR 1. Non esse hoc formatum argumentum, per recurrentes eosdem terminos: nam subjectum minoris est istud: Posito Verbo & humanitate & ablata modalitate: cuius ablata modalitatè, non fit mentio in consequenti: additum enim illud, quod præterea illa modalis entitas sit constitutum intrinsecum, non spectat ad complendum subjectum minoris, sed se tenet per modum additi & illustrati consequtentis. Quod si formetur ita consequens: Ergo Verbum & humanitas, ablata entitate modali, non sunt constitutiva intrinseca uniti hypostatici, concedetur totum; non quod illa modalitas habeat rationem constitutivi, sed quia Verbum & humanitas, non nisi in circumstantia illius modalitatis, sortiuntur denominationem uniti. Non repugnat autem, ut aliquid sortiatur denominationem aliquam, in aliqua circumstantia, ita ut illa denominatio, in re, sit ipsum illud in tali circumstantia posi-

tum. Sed hoc argumentum, & sequentia, pleniùs discussa vide in materia de Relatione, & in materia de Sacramentis, ubi de constitutivo intrinseco: & ubi agitur, an intentio sit pars Sacramenti?

RESPONDE TUR 2. Retinendo responsionem, quam sibi opposuit oppugnans; scilicet quod posito Verbo ut actu terminante, & humanitate ut actu terminata à VERBO, eo ipso ponatur denominatio uniti hypostatici.

INSTAT. Hoc quidem vere dicitur, sed petitur principium: quia totum argumentum, quod procedit de unito hypostatico, omnino integrum reddit de denominatione VERBI terminantis, & humanitatis terminatæ: probatque, in hac denominatione, modalitatem, de qua agimus, esse intrinsecum constitutivum.

RESPONDE TUR. Negando hinc peti Principium, sed potius stari in principio, quæ duo per hoc inter alia distinguntur: quia petens principium, hoc ipsum solum pro ratione reddit, de quo est quæstio: stans autem in principio, habet tantum pro Regula, cur aliquid concedere vel negare dicatur: ne convincatur quod in consequenter affirmet vel neget, quod etiam sit in praesenti. Porro si queratur, quare unitum hypostaticum possit haberi, sine modalitate tanquam constitutivo, pro ratione adfertur: quia sufficit, quod constitutivum intrinsecum sit ipsum VERBUM prout terminans, & humanitas prout terminata: licet, istam rationem Propterea, non habeat, nisi in circumstantia modalitatis. Objiciens autem non probat, quod sit impossibilis denominatio, quæ sit in re ipsum illud denominatum, in tali circumstantia positum. Addo, respondere ad definitum per definitionem, non est petere principium: definitivè autem unitum hypostaticum, est VERBUM prout habet rationem actu terminantis naturam humanam, & natura humana prout habet rationem actu terminatæ. Non repugnat autem haberi istud Propterea, modalitate illâ positâ, non nisi pro connotato: hinc rogari debet, ut propositio hæc probetur: Implicat denominatio, quæ sit ipsum denominatum, in tali circumstantia positum.

Supponit etiam arguens, ablato connotato extrinseco, manere omnia constitutiva intrinseca, quod repetitò negatur doceri à nobis. Hinc porius

RESPONDE TUR 3. Retinendo item responsionem prævisam ab objiciente, quod scilicet ablata ista modalitate, non maneat illius totius constitutiva intrinseca, in actu secundo & formaliter, sed tantum in actu primo, & materialiter.

INSTAT. Ergo jam omnia constitutiva intrinseca, in actu secundo, totius hypostatici, important aliquod constitutivum intrinsecum, præter Verbum & humanitatem, quod certè non erit aliud, nisi illa modalitas.

* n 3 RESPO-

Tractatus II.

R E S P O N D E T U R. Hanc ipsam illationem probandam fuisse, eō quōd desideratur probatio istius Majoris: Implicit denotatio, quæ sit ipsum illud, in tali circumstantia positum. Rogatur item probatio istius majoris: Implicit, ut in entibus connotativis, habeat hoc rationem constitutivi intrinseci, in tali circumstantia, & non habeat rationem constitutivi intrinseci, extra hanc circumstantiam.

O B J I C I T 3. Sequitur ex his responsionibus quōd ablata illā modalitate, ablato item connotato, non maneat quidem ens connotativum, maneat absolutum: quod dicinon potest: quia in sententia nostrorum communi, ens respectivum non distinguitur realiter ab absoluto: si ergo extra circumstantiam extrinsecam, manebit ens absolutum, cum quo adæquatè identificatur ens respectivum in circumstantia extrinseci, adhuc, extra istam circumstantiam, debet manere ens respectivum, ne dicatur, idem menere sine scipso, extra circumstantiam requisitam.

R E S P O N D E T U R. Concedendo primam sequelam. Quod attinet ad secundam, illa hoc sensu est vera: quōd scil. relatio, non sit entitas realiter superaddita, quod & nos concedimus; licet ex nostris tenuerint aliqui oppositum: & hīc in nostra Provincia Pater Laurentius Piakowski. Cæterum tota connotantium schola negat, quōd aliquod ens, non evadat absolutum, cūm fuerit respectivum, si desit circumstantia rationis fundandi & termini. Tertia autem sequela negatur: est enim illa ipsa major, cuius probatio desideratur, nempe: Implicit denotatio, quæ sit ipsum denominatum in tali circumstantia positum. Nec manebit idem sine se ipso, extra circumstantiam requisitam; quia illa Relatio, illud Prout, illa Denotatio, non quomodocunq; est ipsum denominatum, sed denominatum in tali circumstantia: Et, si denotatio simpliciter identificaretur denominato, non manente denominatione, & manente denominato, maneret idem sine se ipso; sed, quia illa denominatio est ipsum denominatum, nonnisi in tali circumstantia positum, hinc non manebit denominatum sine se ipso; quia illa denominatio est illud denominatum, nonnisi in tali circumstantia positum, quod repetitò dictum.

I N S T A T 1. Etiam Ens respectivum, per se ipsum præcise, est id quod est: Ergo fieri non potest, ut ens respectivum, nunc identificetur adæquatè enti absoluto, quando adest circumstantia extrinseca: nunc verò distinguatur realiter ab eodem absoluto, quando deest circumstantia extrinseca.

R E S P O N D E T U R. Nego consequentiam: in qua ipsa vertitur cardo difficultatis, adeoque probari debuit; eō quōd non sit ostensum, repugnare denominationem, quæ sit ipsum deno-

minatum in tali circumstantia positum. Desideratur item probatio, cur repugnet, ut ens respectivum, sit ipsa entitas absoluti, in tali circumstantia positi? & casu, quo non adsit illa circumstantia, non hoc sensu distingueretur realiter respectivum ab absoluto, quasi separetur tunc aliqua entitas, & percat; sed quia nemine cogitante, ablato termino, desinat habere rationem respectivi.

I N S T A T 2. Ens respectivum & absolutum differunt essentialiter: Ergo additio circumstantiæ extrinsecæ, mutans ens absolutum in respectivum, transessentiabit unam essentiam in alteram, quod implicat: dicitq; arguens, quod hoc argumentum revera illum convincat.

R E S P O N D E T U R. Argumentum multum probare, nam indubie etiam in principiis argumentis, in relatione prædicamentali, ens absolutum, additione termini tanquam partis, evadit respectivum: Ergo additio illius termini, transessentiabit ens absolutum in respectivum. Unum item numerale, est absolutum, unum autem & unum, evadit respectivum, quia evadit par, numquidne tunc transessentiatur unum numerale? Animal aliam habet sui definitionem, ratione aliam: numquidne conjunctio istorum duorum in homine, facit transessentiationem? Hinc in forma distinguitur antecedens. Ens respectivum & absolutum differunt essentialiter, hoc est, definitio respectivi, non est definitio absoluti, concedo antecedens. Ens absolutum & respectivum differunt essentialiter, hoc est, non potest ens absolutum unquam fortiri & acquirere denominationem respectivi: nego antecedens. Tuncq; primū ens absolutum transessentiaretur in respectivum, si definitio respectivi, esset definitio absoluti, quod in praesenti non contingit, nec à nobis docetur.

I N S T A T 3. Unio hypostatica est, per nos, ipsum verbum & natura humana, in circumstantia prædictæ modalitatis: Relatio item est ipsum fundamentum in circumstantia rationis fundandi & termini; & sic de reliquis connotatis; quærere restabit, cur illa circumstantia non habeat potius rationem partis?

R E S P O N D E T U R. Etiam per oppositos, datur constitutivum intrinsecum relationis transcendentalis, quod constitutivum intrinsecum, per illos, ne quidem partialiter compleatur ratione fundandi & termino; & tamen imaginabile est, quōd entitas illa, independenter à proportionato sibi termino, & ratione fundandi, habeat rationem constitutivi intrinseci; cūm tamen per illos, illæ circumstantiae non habeant rationem partis, in dicta relatione: ita nec in præsenti habebunt. Deinde duplicitia sunt tota. Quædam tota rigorosa, quale est totum compositum ex corpore & anima, quōd etiam revocantur ea, quæ habent proportionem

Disputatio IV.

151

tionem cum manifestè partibus; & alia sunt tota non rigorosa, sed potius conflata ex pluribus; quale conflatum est cognitio, nempe ex tendentia vitali, & ex objecto. Ad quæ non rigorosa tota, revocaretur conflatum, ex intrinseco ratione necendi, & extrinseco, seu Aliud. Hinc si totum illud non sit rigorosum, illud Aliud, seu extrinsecum, item illa circumstantia, poterit non esse pars; sed nonnisi unum ex extremis, conflatum illud ingredientibus; quod extremum in omnibus parificatur parti, excepta denominatione partis, & denominatione intrinseci. Denique, ex eo illa circumstantia, non est pars, item ex eo, fundamentum in circumstantia termini positum, non dicit illam circumstantiam pro parte, quia terminus, cùm sit Aliud, ex ipso prædicto Aliud, non dicit proportionem cum intrinsecis. Quod fuis vide defensum, in materia de Pœnitentia, ubi actum, an peccata sine intrinsecum constitutivum sacramenti Pœnitentiae? Sed insuper hoc idem aliter proponitur.

Constitutiva intrinseca debent esse proportionata, ipsimet constitutio; si enim non essent proportionata, non illud, sed aliquid aliud constituerent; & ob improportionem, identitatem non dicarent. Quia ergo ipsum constitutum, quod est Relatio, vel Relativum, dicitionem ad aliud, adeoque importando, & ad, & aliud; ideo & constitutiva intrinseca, debent importare & ad, & aliud; si important constitutiva intrinseca & ad, & aliud; cùm se ipsum nihil dicat pro extrinseco, debet constitutivum illud dicere, & entitatem fundamenti, & insuper illud ad, illud aliud: quod si: est aliud, si: est ad, debet illud pro extrinseco dicere; nam, & nihil est ad se, & nihil sibi aliud; consequenter circumstantiam, quæ salvat illud ad, & illud aliud, debet dicere pro extrinseco: cùmque relatio prædicamentalis, sit relatio adveniens; ad salvandam proportionem, etiam constitutiva illius debent habere rationem advenientis: consequenter idem fundamento, ratione advenientis circumstantia, habebit rationem constitutivi intrinseci, extra illam circumstantiam, non habebit.

DIFFICULTAS III.

Quo ordine peracta est unio hypostatica?

DE hoc ordine assumptionis tractat Suar. integrâ disp. 17. Valent. disp. 1. q. 6. pun. 2. Amicus disp. 8. Seçt. 7. Tituli sensus est: An Persona, prius aliquid in humanitate terminârit, & non simul totum? & quia prioritas duplex est, Temporis, & Naturæ: constat in Catholica Theologia, fuisse simul assumpta tempore à VERBO, nec præfuisse prius tempore Naturam humanam, huic toti hypostatico; & oppositum censetur esse pars erroris Euthychiani, ut vide-

re est apud Valent. disp. 1. q. 2. puncto 1. parag. *Terius error.* Probarique id potest ratione fundatâ in Conciliis & Patribus. Quia vel præfuit corpus solum, vel anima sola, vel utrumque, illi Toti, quod est Christus, non solum corpus; quia hoc sine forma substantiali non existit, non secundum solam animam; quia, quod animæ præexistant corporis formationi, & v.g. quod sub initium mundi sint creatæ, est error damnatus in Synodo 5. & 6. Constantinopol. Idem habet Leo Papa, Epist. 71. *Catholicam Fidem constanter atque veraciter prædicare, quod anima hominum non prius, quam suis inspirantur corporibus, fuere.* Quodsi animæ reliquæ non præfuere suis unionibus, nec anima Christi præfuit. Non etiam præfuit Totum; quia alias etiam debuissent præfuisse Persona creata, quod negant Patres. Quod autem attinet ad prioritatem Naturæ, citati nostri tenent, prius naturâ in intentione assumptum esse: Totum, quam partes, in executione autem, prius naturâ partes, quam totum; & quidem, quod prius intentione assumptum sit totum quam partes, ratio est; quia illud prius ratione assumitur, quod principaliter & ultimâ intentio, Deus autem intendit principaliter & ultimâ, unire totam humanitatem cum VERBO. Est ergo tantum difficultas, an in executione, prius naturâ, assumpta sint partes, quam totum?

DICENDUM est, Prius naturâ in executione assumptum esse Totum, quam partes. Est Conclusio Scoti & Durandi in 3. dist. 2. q. 2.

PROBatur 1. Conclusio ratione desumptâ ex S. Thoma q. 6. a. 4. ad 3. ubi sicait. *Vnione personali, prius secundum intellectum, oportet quod caro uniatur animæ, quam Verbo;* quia ex unione ad animam habet, quod sit unibilis VERBO in Persona; presertim, quia Persona non inventur, nisi in anima rationali. *Ex quo loco sic formatur argumentum.* Prius est naturâ, (indubie in executione) unita caro cum anima, quam unita VERBO: quia VERBUM est unitum nonnisi carni humanae, non est autem caro humana, ante unionem cum anima; ergo etiam, prius naturâ, in executione, est unita Persona Toti, quam partibus. *Consequentia probatur.* Ideo, prius naturâ, unita est in executione caro animæ, quam VERBO; quia caro, ex unione ad animam habet, quod sit unibilis VERBO; sed etiam ex unione Personæ ad totum, habent partes, quod sint unibiles Verbo; ergo. Minor probatur. Ideo caro ex unione ad animam habet, quod sit unibilis VERBO: quia sine unione ad corpus, non potest intelligi, esse natura humana; sed etiam sine Toto, non possunt intelligi partes esse natura humana. Ergo etiam partes habent esse unibilem VERBO, ex unione Personæ ad Totum. *Hocque videtur significare S. Thomas,* dum docet, Personam non inventari, nisi in rationali natura, rationalis autem natura in homine, est Totum;

* n 4

non